

IOANNES ARCHIEPISCOPVS TREVERENSIS.



Ioannes ex nobili familia à Leyen natus, & in omnī genere uirtutum optimē educatus est. Is à pueris parentum consilio operam literis dedit, & liberales artes feliciter didicit. Accedebat & uitæ integritas, atq; magna animi prudentia. Postea se Treuerim contulit, et inter eius collegij canonicos receptus fuit. Ibi magna animi moderatione uixit, & ob multas corporis & animi uirtutes omnibus gratissimus extitit. Itaq; cum eius loci presul obijsset, Ioannes omniū suffragio Archiepiscopus constitutus fuit. In ea eminentia existens literatum studia promouit, atq; pacem per Germaniam conseruare studuit. In comitijs quoq; sua consilia ad concordiam direxit, atq; patriæ salutem unicē respexit. Id quod Fräckoforti cum Maximilianum Ferdinandi filium, unā cum reliquis Electoribus, regem Romanorum 1562 constitueret, omnibus innotuit. In eo genere uite Ioannes princeps etiamnum pergit, & suis subditis gratissimus existit. Anon.